

**Dissertatio medica de melacholia / ex epitome praxeos clinicae, Georgii
Wolffgangi Wedelii ... eodem praeside.**

Contributors

Klein, Godofredus.
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jena : Krebs, 1707.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m8s5w8vh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

31313/p

I. N. I.

DISSERTATIO MEDICA
DE
MELANCHOLIA,

EX

*EPITOME PRAXEOS
CLINICÆ,*

GEORGII WOLFFGANGI
WEDELII,

HEREDITARII in Schwarka /
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII
FACVLTATIS MEDICÆ h. t. DECANI,

EODEM PRÆSIDE,

PVBLICÆ PHILIATORVM DISQVISIONI SVBIECTA

GODOFREDO KLEIN,
Colmariensi,

IN AVDITORIO MEDICO,

HORIS CONSVETIS,

A. D. IVL. ANNO CIO MCCC VII.

IENÆ, LITTERIS KREBSIANIS.

Geering. Basle 17/11/10

24696

V I R O
PERILLVSTR*I* atque MAGNIFICO
DOMINO
FRIDERICICO
de BINDER,
AVGVSTISS. CONSILII IMPE-
RIALIS AVLICI ASSESSORI
MERITISSIMO,
MÆCENATI SVO GRATIOSISSIMO,
PIE ac SINCERE COLENDO,
INCOLVMITATEM VERAM ac ÆTERNAM
EIDEM APPRECANS,
Exercitationem hancce Academicam
Deuote offert



Cliens humillimus

GODOFREDVS KLEIN.



L. D. B. V.

De

Melancholia.



A Medicinæ est dignitas, vt & mentem curet, & sanam illam in corpore sano præster. Restituisse delirantem non minima est gloria. Quantum præstat animus corpori, tanto grauiores sunt morbi eiusdem præ aliis. Laborare mentem in febribus nouum non est, quando subtilia machinæ animalis organa a febrili plus quam Vesuuiano igne eccentricitatem patiuntur. Sed & extra febrim, & in eadem talis eccentricitas intellectus occurrit. Speciale tale exemplum præbet MELANCHOLIA. Qua de in examine Clinico notanda occurrunt:

An reuera mens laboret, seu an adsit reuera tale delirium, seu simulet id æger, qui talis non sit, seu putetur talis, vnde renunciandum quandoque est medico de tali delirio in genere, & in specie quoque. Non raro enim id quæritur ex eodem. Et ipsi aliquando per biennium detentum liberauimus ex carcere, cum eum nec melancholicum, nec maniacum assereremus, vt alia taceamus. Sæpe melancholici sunt & non videntur, sæpe videntur & non sunt, sæpe vero & sunt & videntur. Patet id omne & colligendum est ex si-

gnis sibi constantibus, vel minus talibus. Vid. *Sylvaticus l. de morbum simulantibus.*

An *dolor animi* adsit, an tristetur æger, alioqui non decumbens, & mœreat; sunt enim melancholici magis *ὀρθοσάδιοι*. Proprium vero & formale melancholicorum est *δυσθυμία*, tristitia & mœror, eaque cum certis quibusdam characteribus aliis. Est enim tristitia melancholica habenda & intelligenda (1.) *relatiua*, quando a priori statu deflectit, a se abiens, dissimilis sibi, mutatis moribus & gestibus; vel si prius tale quid adfuerit, & repetat. (2.) *Gradu auctiori*, quam ut intra terminos sanitatis & naturæ consistat, seu alias in sanis fit. (3.) *Citra causam manifestam*, quale quid in vita humana toto die fit, ob varios casus, ob tot discrimina rerum. (4.) Sique & hæc adfuerit, tamen non molliatur *tempore*, non transeunte quodam dolore afficiat, sed *πολὸν χρόνον διαλέξη*, longo tempore perseueret, & duret.

An *metus & timor* adsit. Coniungitur vtrumque, timor & tristitia, ab *Hippocrate 6. aphorismi 23.* Immo timor, *ὁ φόβος*, præponitur. Potiorem tamen obseruauimus fere tristitiam, timorem vero in auctiori maxime & peiori statu, qui iam maiorem gradum tristitiæ & melancholiæ notat. Timent vero non timenda melancholici, anticiissimas quoque personas, nec vlllo modo graues, vel molestas, sed mollissimis verbis & gestibus vsas: res item alias nonnunquam. Tantum abest, ut animum lædendi alios habeant, ut potius sibi insidias strui vndique putent. Est vero diuersitas etiam in timore ipso non vna.

An *species aliæ doloris* huius adsint, v. g. an ducat *suspiria*, & quando suspirat, an *leuamen* inde sentiat. Illud grauatis & velut oppressis spiritibus, & consequenter diaphragmate, hoc

paulum excitatis fit. An amet *solitudinem*, non solitaria vitæ prius adfuetus, iam vero, præter solitum, eandem affectans, ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

An *secum loquatur*, quod occupari mentem magis arguit; an, quod communius est, *silentium* adsit insolitum, adeo ut difficulter admodum solvantur in sermonem. An citetur in *lacrymas*, in solitudine expressas. Hæ lacrymæ sæpe effluunt quasi inuoluntariæ, seu potius expletur lacrymis conceptus egeriturque dolor, quod in fœminis obseruauimus magis frequens esse, leuatis quoque iisdem ab anxietate. Et tutior est fere melancholia ac mitior cum lacrymis, quia lymphæ abundantiam notat, & molliorem ac flecti facilem magis ostendit animum, secus ac fit in continuata. An *risus* se misceat, quod, elogio *Cai*, itidem tutius.

An *Pbilantia* naturalis, & *cura sui & suorum*, agnatorum, amicorum *cesset*; seu non attendant se ægrotare, vel credant, seu incurabili se detineri malo; an *comedant*, vel *bibant*, anicum *appetitu*, nec ne. Parum hæc curant fere, & eucliones sunt in utroque, sæpe tamen & voraces, ob acidum auctum. Vidimus &, quibus vi potus ingerendus erat. Visi alii longo tempore ieiunasse, paucissimis contenti. Quomodo *ad oblata* alia se habeant, quoad verba, gestus, & mores. Pertinent huc & medicamenta, quæ, & cibum, si prorsus recusant, malum est.

Quis sit *corporis habitus*, quoad totum, & quoad vultum, speculum corporis; an *facies* torua, austera, & *oculi* squalidi, liuor pallidus, vel color plumbeus, corpus hirsutum, nigrum. An toruum videat, an potius demissis oculis, an strigosum sit corpus & macrum, an mollis, pinguis & oleaginosus contactus occurrat, quo solo *Walaus* *meib. med. p. 104.* me-

lancholicos nosci posse scribit. Obseruauimus uero utramque differentiam, pro statu acidi & viscerum fixiorum variante.

An *frigus* adsit extremorum, quod frequens admodum & solenne est, ob depressos spiritus & fixitatem, contra ac fit in mania, quæ melancholia est inuersa; an *φλόγωσις* & *anxietas* quandoque accedat, ut in scorbuto calido. An *continua* sit, an *interpolata*, an *periodica*; quandoque per paroxysmos quoque impetit. Prius illud peius, hoc mitius est.

An *causa externa* quædam *grauior* præcesserit, seu reuera talis, seu putatitia, vel talis saltim uisa, & cogitatione aucta. Tristitia enim & facit melancholiam, & eandem signat. A simili in simile facilis est transitus. Tales uero casus sunt mors consanguineorum, & suorum, imprimis longo tempore dilatis & raris prius nec adsuetis adhuc funeribus; damna item domestica, incendia, rapinæ, bella, terrores, unde superiori bello Germanico & alias id satis ostendit experientia.

An *terror* a spectro uiso, vel alio quouis horribili; multiplicat melancholici entia hæc idealia præter necessitatem, ex musca faciunt elephantem, & æmulantur ideæ illæ globum ex niue, qui uoluatione incrementa continua sumit. An *male actæ rei conscientia*, & quæ alia huc possunt referri.

An ex *gentilitia hereditatis communiõne* ad ægrum sit deriuatus morbus; uti id non infrequens, tertio etiam & quarto gradu productionis, obseruatum est, ut non minus in aliis morbis spirituum. Non tamen promiscue id ualet, sed de radicata magis, & intimius confirmata. Et ipsum hoc grauius est, nec facile cedit, saltim respectiue.

An ab *intermissa uenere*, in coelibatu, fiat, vel in conuugio. Valet id tum in maribus, prouectioribus in iuuentute,
tum

tum imprimis in foeminis. Vnde & in his attendendum, an *grauida* sit, nec ne; obseruauimus enim & in grauidis non paucis accessisse melancholiam, imo & maniam. Sunt, quæ quoties concepere, tales inordinationes mentis patiuntur. An in *sterili* uiuant coniugio. Quæ enim nullos habent liberos, vt & virgines seniores, frequentius & spleneticis laborant morbis aliis, & melancholiam patiuntur. Alias vero ordinariæ spleneticæ melancholicæ ingrauidatæ optime degunt, & nihil plane sentiunt mali.

An ab *amore* concepto occulto, vel manifesto, enata *πρόφασις*, an a *philtro* propinato, an cogitationes & *somnia* lasciuia, ipsaque pollutio nocturna adsint. Maxima vis est amoris in spiritus, vt nullus affectus videatur tam intime se iisdem insinuare, quam hic ipse. Adeoque vno verbo, an sit melancholia *erotica*, amatoria, vel *quasi talis*, seu ab amore illato, seu ob amoris & veneris defectum.

Qualis sit *pulsus*, an *depressus*, *fixus*, *tardus*, *aqualis*, an inæqualis & inconstans, vel *intermittens* quoque. Valet id, vt attendatur nempe pulsus, non solum absolute in quauis melancholia; verum & speciatim in erotica illa. Vnde notum est exemplum Erasistrati medici, qui hoc pacto, ab immutatione pulsus vibratioris, faciei, & reliqui status deprehendit morbum filii Regii, seu Antiochi in nouercam Stratonicam.

Qua *etate* sit æger. Fluit id ex occasione dictorum. Rarior paulo est in pueris, vidimus tamen eandem in puero sex & alio nouem annorum, quos curauimus. Frequentius paulo in consistente id fit ætate, non raro tamen etiam in adultis aliis.

An *precesserint* morbi alii, & quinam, *febres* v. g. quod *Hollerius* notat, & nos in foemina a febre maligna vidimus,

exiccato magis cerebro: vel *epilepsia* quoque, quæ maxime debilitat cerebrum & spiritus, & plerique epileptici sunt melancholici, licet non semper vice versa, quod nec ipsum tamen, contra ac quibusdam visum est, impossibile est, si quidem notati sunt simul hæc laborasse, vel spasmodicis moribus. Ratum est *Coi* assertum l. 6. *epid. in fin.* Melancholici etiam *epilepsia* corripitur plerumque solent, (quod tamen respectiue est rarius, si de morbo intelligatur, euenire tamen non penitus insolitum,) & vicissim epileptici fieri solent melancholici.

Quo tempore anni ingruat, vel repetatur, vere & autumno id fere solet magis accidere; an *diebus canicularibus* magis recidiuet, vel etiam sub certis *lunationibus* seu *phasibus* lunæ repetat. Tempus anni non vt causa agens æque, sed mouens se habet, inclinans remotius.

An *febris* superueniat. Melancholia nimirum proprie dicta est extra febrim, & hoc ipso a reliquis deliriorum generibus distinguitur. Attamen si distinguamus inter melancholiam, & affectum melancholicum, etiam febricitantes deprehendimus melancholicos aliquando. Variant enim deliria omnino respectu temperamentorum diuersorum.

An *vigilia* adsint, an *alui obstructio*, an contra. Affectus longe grauior est, si hæc duo, in primis *vigilia*, adsint. Sin dormiat, quod raram est, bene est; ex somno enim & *vigiliis* status lymphæ maxime elucet, non minus ac ex *alui ductilitate*, cuius *obstructio* vt plurimum accidit.

An malum diu duret & *chronicum* sit, vel *productum*. Sæpe per plures annos durat, imo etiam commoritur. An *indefinitum*, circa quæuis obiecta, promiscue se habens, an *definitum*, circa vnum solum obiectum, an *medium*. Sæpe opti-

DE MELANCHOLIA.

optime degunt & ratiocinantur circa omnia & singula, at circa conceptam ideam hanc illam aberrant, v. g. se lue venerea laborare, odium erga coniugem, & alia.

An memoria salua sit, an *obliuio* & stupor quidam: ille status est melior & facilius curatu, hic peior longe, adeo vt fere tales maneant, præterquam, vbi per paroxysmos redit. Pertinet huc etiam, an *tenax* & constans *imaginatio* illa sit, an *mobilis*. Sæpe fit vtrumque, vt modo immutabiles sint ideæ, modo post longam moram, missa priori, in nouam ruant.

An melancholia sit a *toto*, a massa sanguinea, conspirante temperamento totius, a natiuitate, a vita antea, concurrente siccitate, statu sanguinis & viscerum vniuersali. An a *parte* certa; an *essentialis* sit, an *sympathica*, non quod non sit semper affectum cerebrum, sed quod inter alia, ad hæc vel illa quoque, ceu morbi sedem, simul sit respiciendum, quæ simul, imo prius & comitate sunt affecta sæpe, vt focus, vt nidus.

Adeoque an melancholia sit *hypocondriaca*, omnium frequentissima, seu aperta, maxime e suis signis dignoscenda, seu quasi talis. Hypochondria enim & latius semper fere consentiunt in genere, etiam si sileant quasi, in deliriis, & pressius seorsim, vnde, ne curatio fiat empirica & inefficax, non solum subiectum & locus morbi, cerebrum, sed etiam aliæ partes omnino respici & attendi merentur.

An *hypocondria* doleant, cum vel sine ardore, quod vtrumque obseruauimus; an *murmura*, *tumor*, *inflationes*, *ructus* & *sputationes* crebræ, cruditates, inappetentia &c. adsint: præcipue enim semper hypocondria attendenda monemus. An fluxerint *hemorrhoides*, iam suppressæ, an

succedat earundem fluxus, quod bonum est itidem & morbum soluit. An *scirrbus*, *durities*, tensio abdominis, *mesenterii*, *hypochoondriorum*, *præcordiorum*, & similia.

An melancholia sit *hysterica*, adeoque menses obstructi, chlorosis adsit, an symptomata alia hysterica, expressa vel implicita, an obscena loquatur, faciat, vel detegat, pudoremque exuat, an cuiusdam amore teneatur.

An sit *demoniaca*, siue occulto Dei iudicio, vt in Saule Rege, siue ab *incantatione*, siue ab *obsessione*, vel putent quoque se obsessos. Balneum diaboli est melancholia; adeoque maxime hæc sunt distinguenda. Non tamen temere ad hæc deueniendum, nisi extraordinaria se offerant phænomena. An *affectus mutantur*, ex mania in melancholiam, vel, vice versa, ex hac in furorem facta mutatione, quod non insolens est in grauiori statu, prout bilis & acidi stimuli variant.

Quo gradu melancholia iam adoleuerit, an *primus* sit, mitior, vt solum tristis, solitarius & moestus sit. An *secundus*, grauior, vt *μισάνθρωπον* offendas, an delirus, idque cum, vel sine risu, absurda & loquatur & faciat, an *tertius*, grauiissimus, & *ἀπάνθρωπος* sit, quod ex circumstantiis diiudicandum.

An *desperata* adsint meditationes, cogitationes & gestus, vel *ἀσυχασίας* inprimis ipsius, quam non raro, ob summam fixitatem & depressionem flammulæ vitalis, affectant, imo exercent, & præcipue, quod notabile est, per suspendium, etiam per leuissima suffocandi; quod hinc a vulgo demoni attribuitur, cum tamen sæpenumero tam cita mors debilitati summa & paucitati spirituum, (vnde & cor exuccum & nullus in ventriculis sanguis inuentus, vid. *Rolfino. de corde c. 2.*) debeatur. An tentationes circa sacra quoque, circa

circa alia, damnatos se esse, & similia. Nullus fere morbus ita variat, quam deliria & inter hæc melancholia.

An sit melancholia *attonita* quasi, quæ sub catalepticos nomine seorsim nota est. Ut enim terror quidam est panicus & attonitus, a causa externa, ita etiam ab interna fit, ut ægri nec audiant, nec videant, sed secum habitent.

Quidam a febre intermittente maligna, ob emergentia ingrata, primum silentio & fixitate spirituum melancholica afficiebatur, cum anxietate, hinc incidens in melancholiam attonitam, per tres dies non loquebatur, nec movebatur, nisi quod caput ad lucem quandoque verteret, donec moreretur.

Præsupposito ergo, spiritus animales in melancholia nimis esse concentratos, partes lucidas, serenas, depressas & obscuratas, volatiles fixatas, ut agilitatem suam exuant, & nihilominus, non ligati blande sulphureis, in perpetuo sine motu, in versandis & concipiendis ideis tristibus occupati. Reuera enim pars mercurialis, seu salina volatilis, sanguinis in vigore suo deficit, depressaque vel ligata est, nec sulphurea sibi satis constante, sed obtusa & in vnum quasi coacta, cum pauciori respectiue & indisposito sero, diluente pura & boni status, acidulo magis.

Hinc I. *Spiritus ab acido, austero, pontico figente & concentrante, ligante, exuperante, liberandi sunt.* Qualis enim sanguis, tales spiritus, utrisque inter se symbolisantibus. Ipse iam Galenus l. 2. apb. comm. 17. vappescere sanguinem instar aceti asserit, adeoque acorem sanguinis stabilit.

Liberant fomentum & fermentum illud exturbantia, seu in primis viis, seu visceribus & massa sanguinea stabulans, in specie EMETICA. Hæc sane laudatissima, optima &

probatissima inuenimus in melancholicis, & delirantibus aliis, rebellis enim est affectus. Vti enim maximum consensum habet ventriculus cum capite, & ipsi etiam ægri propemodum semper de ventriculo conqueruntur, vnde ob sputationem multam *Casalpinus* in eodem melancholiæ hypochondriacæ sedem statuit; ita maximam opem tum alias, tum præcipue h. l. præstant emetica, vbi antimoniata reliquis omnibus palman præripiunt fere, tartarus emeticus cinnabarinus, mercurius vitæ lunaris, elect. diafari antimoniatum, radix ipecacuanhæ officium faciunt.

Notabile vero est, esse fere fixiores paulo melancholicos & difficulter mobiles, vnde non minori quantitate, nec maiori tamen & excessiua hæc propinanda sunt. Humor scilicet est fixus, spiritus vero debiles respectiue magis.

Exturbant & liberant PURGANTIA, citra quæ non facile melancholiæ succurritur. Commode itaque & hæc dantur, si vel minus videantur dari posse consulto emetica, vel eadem non suffecerint, vti longus est morbus, insigniter proficua, etiam reperita. Fortiora vero & hæc esse debent, longe magis, quam emetica, ob siccitatem maximam, si non actuaalem, saltim potentialem, licet simul sæpe sint sputatores. Quam in rem consultum est, tum vti magis humida forma, vti potiones, infusa & decocta optima sunt, ex rad. helleb. nigr. v. g. ad ʒij. iij. fol. senn. ʒβ. ʒvj. cum summit. fumar. mj. fl. nymph. mß. fl. 4 cord. ana ʒiij. additis seminibus carminatiuis, epithymo, & cephalicis: tum interpolare potissimum hæc ipsa aperientibus & alterantibus. Quod nisi fiat, frustra sæpe sunt, & nihil operantur.

Dedimus sæpius lap. lazuli cum gialapa ana ad ʒj. pro stimulo etiam addita resina scammonii. Lapis lazuli enim & alterans, & cordiale, & euacuans constituit egregium: mi-

randam vero est quorundam antecessorum credulitas & timor, qui vel trigesima lotionem eum vix mitescere & acrimoniam suam deponere crediderunt. Nullam in eo deprehendere potuimus, tantam saltem, acrimoniam, & sine lotionem adhibuimus etiam cum successu. Adeoque timendus non est, ut quidam faciunt, neque hinc lotionem aque vel calcinationem opus habet. Sic & addi iisdem, ut & gualapæ ipsi seorsim soli, commode potest & cinnabaris nativa, ut alias quoque.

Sic etiam pilulæ tartaræ Quercet. & extractum earundem, extractum hellebori simplex & martiale, sennataque profunt; nisi quod pilulæ sicciores paulo sint, unde minus conueniunt, nisi cum humectantibus diluantur. Egregia etiam sunt colocynthiaca, ut trochisci alhandal imprimis commendati *Dec. I. anno III. Ephem. Germ. Obs. 202.* pilulæ polychrestæ Sylvii, uti & alias confectio Hamech eo nomine in usu est, antiquis celebrata, quam tamen *Solenander* reiicit, nec nos facile eadem utimur. Pulverem benedictum ad melancholiam memorat *Heer. in obs. p. 307.* Tacemus alia, & clysteres ipsos, qui ipsi non raro adhiberi possunt cum fructu.

Et sane maximam horum vim esse satis demonstrant exempla, quod etiam obsessi ab adhibitis hisce fuerint liberati, & incantati, quorsum spectat exemplum *Erasmio Rotodamensi Oratione de laude medicine* laudatum, quendam pro obsessio merito habendum, peregrinis linguis locutum, a medico curatum.

Liberat & VENÆ SECTIO, ut non pauci eam reiiciant, si quidem in vasis, uti fit, vitium hæreat. Hanc omnino in his casibus inuenimus optimam, quod & euacuat partem sanguinis, & hinc alterationi seri & sulphuris viam parat. Sic

apud *Borellum* quidam, qui se spiritum sanctum profitebatur, potione melanagoga & venæ sectione curatus est, *Cent. 1. obs. 37.* Ventilat venæ sectio simul ipsum sanguinem, eiusque motum & consistentiam corrigit.

Suademus hinc venæ sectionem v. g. in brachio dextro, vel sinistro, in quo etiam cum vulgo, pro re nata, observari potest tempus anni innoxie: ver æstas dextras, autumnus, hyemsque sinistras. Vel etiam cephalicam in manu, vel prope pollicem, & saluatellam ipsam, quod in extremis remoram magis patiatur sanguis, & sordes suas deponat. Consulto etiam in pedibus instituitur venæ sectio, ut in reliquis quoque affectibus capitis, ad maiorem reuulsionem, & ob consensum non minimum capitis cum pedibus.

Hinc & vena frontis vtilissime secatur in aduetsis, vel ad id persuadendis venæ hæmorrhoidales aperiri, saltim hirudinibus appositis, queunt, vbi id consuetum est; minimum idem aperientibus ordinariis communibus prosequi licet. Hæc ipsa consultissime instituuntur, præseruandi gratia, tempore verno & autumnali, non omissis alterantibus, curandi vero, quouis alio urgente.

Liberant etiam VESICATORIA, quæ tum nuclæ applicari possunt, tum, in grauiori malo, vertici ipsi raso, excitandi, diuertendi, & reuellendi vsu. Non solum enim euacuant & liquant serum, sed & dolorifica sua actione sensus euagatos huc, seu ad se reuocant. Eodem fine & CUCURBITVLA cum SCARIFICATIONE vertici raso vtiliter imponitur. Cum enim rebelle sit malum, heroica remedia omnia sunt congerenda, ut opem ferant.

Liberant etiam cum primis fontem respicientia, anthyphondriaca, martialia, salina, & aperientia alia acidum inuertentia, obstructions extricantia, & edulcando massam
san-

sanguineam saturantia ac corrigentia. Vsi sumus feliciter hoc nomine croco martis vitriolato, saccharo martis, pulvere cachectico cinnabarino, non omissis cordialibus, ut oleo cinamomi, caryophyllorum, vel sassafras, ipsisque gemmis. Insigne quoque medicamentum est tartatus vitriolatus, inprimis lunaris, qui nomen inde mutuatus est quoque, ut dicatur das Narren-Pulver.

Sic & censum hunc ornant spiritus vitrioli martis, per distillationem & mixtionem paratus, spiritus vitrioli volatilis, mixtura antiscorbutica, essentia martis cum sale ammoniaco & spiritu cochleariæ, mixtura simplex antimoniata, tinctura martis cum arcano tartari, tinctura martis solaris dicta, in fortioribus, tinctura martis pomata, cydoniata, non vna, & Zvvölferi quoque, & præcipue helleborata, simplex & volatilis, quæ insigniter humectat, cum aliis similibus, quorum sapius mentio occurrit, cum sint polychresta. Arcanum etiam duplicatum satis egregium est.

Pertinet huc & infusum ad melancholiam hypochondriacam *Zwingeri*, a *Mullero* in *miraculis chemicis* descriptum, infusa alterantia & purgantia cum marte, ut & essentia antimonii, tinctura tartari ipsa, pro re nata, elyffus antimonii tartareus, extractum splenis bouis commendata sunt & egregia. Profunt hæc vnice & κατ' ἐξοχήν tum in melancholia hypochondriaca, tum adæquate & in altera quoque hinc. Possunt eadem vel præmitti, vel postponi euacuantibus, optimo consilio interpolanda. Hinc solemus ut plurimum hæc præmittere per aliquot dies, hinc purgare, hinc iterum alterare, & sic porro.

Ipsæ etiam ACIDVLÆ & THERMÆ commodum habent locum, & huc spectant, si nihil obstat, ex directione medici. Sic chalybeata fixum reddunt volatile, quatenus

demunt vinculum ligans, acidum saturant, & tonum viscerum roborant.

Liberant etiam optime alterantia alia. Enimvero (II.) *Spiritus concentrati & depressi roborandi, serenandi & demulcendi sunt.* Roborant aromatica, balsamica, & confortantia, sale volatili oleoso pollentia. Notæ sunt eo nomine species lætificantes *Galenii, Rbasii*, vel aliæ, item species diapleres archontici, diambrae suo modo, cordiales temperatæ, aqua & oleum cinamoni, borraginis, essentia croci, qua de hyperbolice videri potest *Finckius* agens in *enchiridio Dogmatico-Hermetico*; crocus ipse insigne antimelancholicum, tinctura auri, essentia anagallidis composita *Rolfincii*, & elixir N. O. cephalicum, essentia fumarie compos. essentia hyperici, inprimis cum spiritu proprio parata, qua de legi meretur *Angelus Sala*, eandem, ceu singulare antidotum, in omnibus alienationibus mentis optimam commendans. Dari potest largiori dosi ad 50. 60. gtt. Conuenientior adhuc est tinctura hyperici *Myns.* ad modulum *Angeli Salæ* facta mixtura.

Sic etiam huc pertinent alia balsamica & confortantia, confectio alkermes completa, cum ambra & moscho, & incompleta, infusa & decocta cephalica, ac cordialia, inter quæ excellit melissa. Imo etiam ipse sanguis asini, in laciniis & alias infusus, siquidem prodest roborando & demulcendo, ob sal volatile nitrosum sulphureum, vnde & sudorem mouet. Vid. *Hartm. in Praxi.* Curauimus eundem præparare sole & luna in ariete, tanquam signo capitis, versantibus. Nec ipsa camphora est de nihilo, si siccitas non adeo vrgeat.

Roborant & demulcent vrinosa, sale volatili prædita, alcalino,

calino, quæ spiritus erigunt, & acidum figens eminenter inuertunt. Vsi sumus cum successu spiritu salis ammoniaci, tum simplici, tum dulci vinoso, vel per se, instillando ipsum in potum, etiam maiori paulo quantitate, inprimis si renuat æger assumere medicamenta; vel cum spiritu liliorum conuallium simplici, & vrinoso; sale volatili rutæ, per se parato, seu spiritu vrinoso eiusdem, spiritu lumbricorum volatili, elixirio cephalico volatili, mistura simplici volatili. Ex eodem fundamento prodest etiam tinctura lapidis lazuli elegantissima, cum spiritu salis ammoniaci parata, tinctura martis cœrulea, quamuis vtraque in extractione sit infida; tinctura lunæ, vt vulgo commendatur, spiritus cerebri & cranii humani, sal volatile seu quinta essentia sanguinis humani, tinctura smaragdi, & alia.

Roborant hac & exterius solo odoratu, vt spiritus salis ammoniaci simplex, vinosus, oleosus, cum spiritu apoplectico & oleo lauendulæ vero, odore tenus haustus, & illitus; vel saltem sal ammoniacum simplex iniectum lixiuio, & hinc odorandum, siquidem statim spiritus vrinosus sic se offert, & anxietates solatur.

Roborant sulphurea, terrea, temperata, absorbendo, serenando, & mitigando, vt perlæ, corallia, eorumque magisteria, & instar omnium cinnabarina, quæ & acidum insigniter absorbent in sanguine, & fundunt lympham stagnantem, & acrimoniam omnem mitigant, & lucidos reddunt spiritus, mixta cum coralliis & aliis variis, vt in specifico cephalico Michaelis: species dialunæ, lapis bezoar. &c. Sic & electuaria huc spectant cephalica, confortatiua, tinctura coralliorum, tum alia, tum cum spiritu cordis cerui parata; vt & species cordiales temperatæ, species de hyacintho, essentia ambri. Vinum ipsum exhilarat, roborat & mulcet.

Demulcent & roborant eximie humectantia, quæ & lymphæ defectum corrigunt, & salia temperant & annihilant, adeoque maxime necessaria sunt in melancholia. Hinc iubemus ipsos plus bibere. Hinc conueniunt decocta anagallidis flore phœniceo, cum cephalicis aliis, quorum exempla vid. apud *Rolfincium Ord. & Meth. comm.* addi possunt passulæ, fl. 4. cordiales, &c. *Crato* decoctum raparum commendat ipsum.

Roborant & alterant aquea alia, vt aqua lactucæ, fumarix, rubi idæi, cerasorum nigrorum, acaciæ, cordialis Herculis Saxonix frigida, borraginis, buglossæ, melissæ, serum caprinum, in siccioribus cum primis; item emulsiones cum iisdem aquis, vt & aqua hypnotica Dorncrellii &c. ex sem. 4. frig. maj. pæon., papau, citr. additis confortantibus, magisterio perlarum, pulu. epil. March. &c.

Roborant spirituosæ, quorsum referenda experimenta cum spiritu vini paratarum essentiarum, si v. g. ex radice pæoniæ, nymphææ, doronici, orchidis palmatæ, herba melissæ, salu. maior. anagallide rubra cum toto, floribus hyperici, pæon. papau. rhœad. baccis paridis, granis kermes, epithymo, cum vel sine opio ipso, fiat infusum, hinc hauriendum cochleatim; satis enim iam per se edulcat & obtundit acidum. In fœminis peccante vel consentiente vtero eadem quoque conueniunt, paucis mutatis, vel additis.

Roborant & demulcent exterius BALNEA, præcipue si melancholia, vt vocant, a toto & siccitate oriatur. Sic balneis aquæ dulcis se melancholicos curasse testatur *Galenus*, absque vlllo fere alio remedio valido, *l. 3. de Loc. aff. cap. 7.* Maximum enim habent momentum ad crassum sanguinem attemperandum, suauem *αἰμαδυσίασιν* pariunt, siccitatem corrigunt, & paregorica sua vi somnum inuitant ac
con-

conciliant. Neque sine hisce humectantibus insigniter vigiliis tollere licet. Addi possunt commode oculi populi, folia vitis, salicis &c.

Idem etiam valet de CAPITILUVIIS & PEDILUVIIS. Soliti sumus etiam solam lactucam recentem, seu endiuiviam quoque, pro lotionem capitis commendare, addita etiam melissa interdum. Addi solent & helleborus & agaricum &c. capitiluvii non inepte. Demulcent & diuertunt hæc ipsa, simulque alterant lympham eximie. Optime huc quadrant etiam frontalia ex aqua solani, sedi mai compos. anagallidis, hyperici, hypnotica Dorncrellii, cum speciebus pro epithemate cordis, lacca Florentina, sanguine asini, nitro antimoniato, philonio Romano, camphora &c.

III. *Obliteranda & euerrenda ex animo est tristis concepta & versata idea.* Hoc vero opus, hoc labor est, eo enim facto prompta est restitutio. Obliterant vero, & eximunt animo istum scrupulum, tum dicta hætenus mediate, tum alia quoque; inprimis vero diuertentia, vt frictions, pectiones, ex leuiorum classe; musica ipsa, inter demulcentia & diuertentia præcipuum.

Obliterant, quæ sensus ligant, & phantasmata sedant, vt obliuiscantur ideas conceptas, nec animo perpere versent. Optima sunt hoc fine vno verbo opiata, nepenthes illud genuinum omnium dolorum & corporis & animi; inprimis, si cum iam dictis humectantibus & roborantibus propinentur, maxime si vigilæ vrgeant, modo secundaria, modo primaria interdum intentione, dosi etiam refracta saltim. Hoc pacto deliria cum vigiliis & ab iisdem facta feliciter possunt abigi.

Dari potest hoc sine essentia anodyna paulo largiori dosi, quæ sufficiat ad ligandum, non noceat, minori enim præbio frustra fere id fit: dari essentia & extractum cum spiritu viatrioli cephalico, cum aliis, ipsisque emulsionibus.

Obliterant, quæ aliud obiectum gratius offerunt. Ita optimum in cœlibem vitam agentibus est coniugium. Textor quidam cum in templo publice melancholici phantasmatis dedisset specimen, rogans sacerdotem, vt e suggestu suæ indi-

gnitatis faceret mentionem, inito suafu nostro coniugio, optime degebat, & restituebatur.

Obliterant inductæ persuasiones etiam per ἀπάτην, Hippocrati dictam, seu deceptionem, siue per purgantia, & emetica, ipsa, substitutis clanculum in vasa excretoria, quæ male habere ægrum, & in corpore residere videntur; vti credunt sæpe se alere in ventriculo serpentes, pilos & alia absurda; siue per fictam sectionem, excrescentis v. g. nasi, seu per strategemata, alia. Vti enim nihil tam absurdum est, quod a melancholicis concipi non possit, ita etiam moraliter sæpe sunt curandi, quo de exempla legi possunt apud Schenckium, Marcell. Donatum, Epiphan. Ferdinandum, Rolsincium Commentar. in 1. aphorismor. 1. & alios.

Ipsa vero submersio in aquam, seu marinam, seu aliam, cuius vis in obliteranda concepta idea est omnium maxima, & in rabie canina, in mania probati effectus, in melancholicis minus habet locum, saltim non eo modo, cum sint debiliores magis spiritus, & facile sic extingui possint. Vnde & in dictis illis aliisque prudentia & circumspeditione præcipue opus est.

Obliterant heroica alia alterantia, vti inunctio mercurialis & obiecto nouo, saluatione continuata, & alteratione insigni probatissima est, nisi quid, vt in ficcioribus & debilioribus, impediatur, & contraindicet. Exempla videri possunt apud Rolsincium Tract. de affect. capitis, cap. de melancholia. Item mutatio aeris & loci, conuersatio cum personis aptis, & conuenientibus, sacris & profanis, vitata solitudine, iisque quæ augere malum possunt, vt acidis, saccharatis, carnibus grossis induratis, & quæ alia viscosum tartareum succum, volatilitati & agilitati spirituum deprimendæ velificantem, gignendum apta sunt. Esus vero carnis leporinæ non nocet.

Obliterat denique tempus sæpe ipsum, in primis, si ab obiecto quodam tristiori inducta est. Vnde & induciæ quandoque dandæ, imo renuunt sæpe medicamenta ipsi ægri, curandi mora, qua etiam alias in chronicis opus est omnino. Optimum est si possint ad consueta munia adigi, vt habeant quod agant, & in quo occupentur spiritus irrequieti.

SOLI DEO GLORIA!